

LVDOVICVS GERMANIAE REX.



**L**vdouicus filius fuit Ludouici Pij Imperato-  
 ris, & Caroli Magni nepos. Hic ob præclaras  
 corporis & animi dotes à parente, Boijs postulan-  
 tibus, rex declaratur Germaniæ, Anno octingen-  
 tesimo uicesimo quinto. Is itaque potentissimum  
 regnum nactus, cum copijs contra Bulgaros pro-  
 ficiscitur, atque hostes Pannonia & Bulgaria ex-  
 pellit. Ut autem Germania ab exterarum natio-  
 num irruptione tutior esset, Rathabodum uirum  
 fortissimum Orientali limiti, quæ hodie Austria  
 dicitur, dat custodem. Postea Episcopus Bathau-  
 ensem & Salisburgensem, inuicem reconciliauit,  
 & unicuique suos terminos præscripsit. Cum autem  
 Ludouicus pater moreretur, bella quædam cum fratribus Lothario, Carolo  
 & Pipino exercuit, quæ tandem prudentum uirorum consilio sunt compo-  
 sita. Inde arma sua in Ratislaum Morauia rectorem conuertit, atque Danubio  
 superato, hostem in loco munitissimo Douina arcta obsidione claudit. Hoc  
 modo pacem supplicem petere, obsides dare, atque sese submittere Ratislaum  
 coëgit. His ex sententia confectis, Reginoburgum in Boiariam redijt, ubi re-  
 gni sui sedem constituerat.